

list. Germ.
Hogr.

*

SABBATISMUS

POPULO DEI PROMISSUS,
IN FUNERE

*Maxime Reverendi Ministerii Berolinensis Augustanae
Confessionis Meritissimi*

SENIORIS,

Beati Domini,

DOMINI

LUCAE HENRICI

THERINGII,

Ecclesiae, quae Coloniae ad Spream CHRISTO
colligitur, haecenus

ARCHI-DIACONI,

Cantatus

à

JOH. WILHELMO PETERSENIO,

SS. Theol. D.

BEROLINI,

Excudebat GOTTHARD SCHLECHTIGER, Aulæ Typogr.

Anno M. DCC. XXII,

SABBATISMUS
POPULO DEI PROMISSUS
IN FUNERE
Maxime Reverendi Ministerii Berolinensis Augustinus
Confessionis Meritissimi
SENIORIS
DOMINI
LUCAE THEOPHILI
THEOPHILI
Ecclēsiæ, quæ Colonie ad Sæptem CHRISTO
colligitur, hæc
ARCHI-DIAconi
Cantuar

§
JOH. WILHELMO PETERSENIO,
22 Theol. Dr.

BEROLINI
Ecclesiæ GOTTWARD SCHLICHTER, Aula Typogr
Anno M. DCC. XLII



U quoque cognatis maturus redderis
 Astris,
 Et Senio, meritisque gravis, multoque
 labore,
 Chare mihi, THERINGE, Senex, Se-
 niorque verendi
 Digne Ministerii ! Mitrà curisque so-
 lutus,
 Ac rude donatus, palmis decorandus & ostrò,
 Ad dulcem tandem declinas lumina somnum.

Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
 Vicit Olympia, quando illum clara Isthmia latè
 Compita, & Elæo currentem carcere vidit
 Græcia, cum celeres sese effudère quadrigæ,
 Palmaque præcipites accenderet æmula currus,
 Post exantlatos multo sudore labores,
 Ipse coronatus metâ præsentè quiescit.
 Aut veluti navis, remis velisque secundis,
 Per decimos Ponti fluctus, densasque procellas,
 Unà Eurumque, Notumque, & nubiferos Aquilones

Antevolans, Caurosque leves post terga relinquens,
Assequitur portum, sperataque littora cernit.
Vel qualis cinctus rimosò errore Viator,
Nulla ubi se pressò monstrant vestigia signò,
Quòque vel hæc tendat, vel quò se porrigat illa
Semita, submetuens divortia mille viarum,
Tandem exoptatos absolvit tramite cursus.
Sic quoque, THERINGI, post tot discrimina rerum,
Quæ sese officio in sancto quàm plurima monstrant,
Felicem portum es naclus, metamque beatam.

Tota illuc Natura gemit, suspirat, anhelat,
Tota altè erectò prospectans provida collò,
Anxiaque exsolvi vinclis desiderat illis,
Et sudâ se pace frui, & spectare quietem.
Huc indefesso rapiuntur singula motu
Fluminaque, Oceano quo profluxére, vicissim
In mare deproperant, gremio se abscondere in isto.
Huc tendit vaga flammiferæ Revolutio stellæ.
Respicit huc ingens gyrò Platonius Annus.
Huc circumducto claudit se circulus orbe.
Ipsè DEUS sapiens, mundum cum conderet amplum,
Septenæ luci, rebus sic rite peractis,
Imposuit finem, cessans, operisque quievit,
Sabbata sanctificans, secum quo cuncta quiescant.
Magna quidem sunt illa opera; At majora supersunt
His, quæcunque latent toti mysteria mundo,
Cum magni cessere dies, seclisque tot actis,
Circuitu sex mille annorum clauditur ordo,
Promissamque parit lampas septena quietem.

Felix ille novi præco, fidusque Minister
Est Evangelii, qui tanta Arcana locutus
In specula cernit, pleno vetera & nova promit

Pectore

Ante-

2)

Pectore, inexhaustumque suo bibit ore liquorem,
Qui manat de corde DEI, & de corde fidelis
In vitam æternam & Paradisi prata recurrit,
Ex quibus effluxit. Nondum obliviscimur ejus
Theiologi magni, cujus venerabile Nomen
(SPENERUM puto) semper erit, quem flemus ademtum,
Sic ubi flammiferis Thesbitem auferret Olympus
Curribus, & tanto infelix Judæa Magistro
Orba foret, stupuere Patres, ploravit eundem
Isacides, raptoque Seni pars optima gentis
Indoluit, luxitque virum desertus Eliseus.
Nec tua decessit victura memoria nobis,
Qui seculi nostri Jeremias omnibus audis!
Exoptande SCHADI! quo commoriente, verenda
Ipsa rogam tangens Pietas sic fata: Sub illis
Exuviis sum fassa DEUM, populumque ferocem
Admonui, gemuique, alto suspiria ducens
Pectore, depascens artus & viscera zelô.
Idem semper erat, non unquam terruit illum
Impietas, seculique furor, stetit aspera rupes,
Exemploque magis docuit, quam verba docebant.

Sic quoque non possum non decantare, THERINGI,
Tam placidum, facilemque animum, cui maxima semper
Relligio, damnare aliquem, si forte notares
Dissensum, cum alii flammæ irasque furentes
Evomerent, brutumque vibrarent pectore fulmen.
Inde illum pacatô animô, qui dicitur HELMOND,
Ferre quidem poteras, licet haud accesseris illi;
Ista legens, apis ut de floribus optima mella
Carpit, & illa probat, quæ noverit usibus apta.
Spissum autem errorem Papæ, rasæque catervæ
Non placido vultu, rigidâ sed mente notasti.

Hunc

Quando

Hunc discretum animum vidi in TE gliscere semper,
Assuetum, corda inspicere, & de pectore ferre
Judicium, quò quisque fuit, vitareque rixas,
Bellaque non ullos prorsus habitura triumphos.
Unica cura fuit, populis credenda fateri,
Quæ cunctis sine nube patent, non illa probare,
Queis regnum sibi quisque parat, decretaque templis
Vult inferre ferox, non persuadere modeste.
Jamque animum subeunt isthæc, quæ gesseris olim,
Cum coleres arctam cum sancta mente **LUDECI**
Fidus amicitiam, qui tunc, velut alter Elias,
Assiduis precibus, non Arte Machaonis ullâ,
Fortibus aut herbis, poterat mulcere Tonantem,
Redderet ægroto vires, ferretque salutem;
Cumque oggannirent multi, Tu fidus Achates
Solus eras, & Kilonio responsa petisti,
Quæ, **WASMUTHE**, dabas, & adhuc superesse vigorem
Virtutemque piæ fidei, roburque precantis,
Nec dum ego sum oblitus, mecum sed condita mentē
Usque sedent, mihi quæ toties benefeceris Ipse,
Cum quondam ingrata Guelphorum pellerer urbe,
Hospitioque Tuo exciperer, fruererque favore.
Sit **TIBI**, sitque Tuis **NATIS**, **NAT** Æque serenæ,
Et generis geminis, tenerisque Nepotibus hocce
Grande lucrum, nec desit **EIS** Benedictio Cœli!
Ipse **TIBI** completa vide Tua mystica sacra
Symbolica, & vestes nitidas in sanguine redde
Impolluti **AGNI**, quando tuba septima clanger,
Ut **TU**, Omnesque **TUI** celebrent ea Festa beati
Connubii, & tanti sint uxor pronuba **SPONSI**!
Tunc, quicumque suam mediis in casibus **AGNO**
Servavere fidem, sunt illa Ecclesia regnans,
Atque regent illos sanctâ in tellure morantes.

Quando

Quando erit ille dies DOMINI, Rex ille dierum?
 Ille dies, sine nube dies, quando aurea surgent
 Secula, & innocuum vulgò regnabit Honestum?
 Cumque Idola ruunt, atque in spelæa ferarum
 Dejiciuntur, & in talparum terrea claustra
 Introëunt, tenebrisque suis conduntur opacis?
 Exorere, exorere, & medios saltem exere vultus,
 Chara dies! Quando, confractis undique telis,
 Sublato rumore omni, pax aurea terras
 Visitat, & nocuus damnato in carcere sparsas
 Vinculus Apollyon nescit seducere gentes.
 Sub iuga venturi reprobis, calcaberis, asper
 Gogque Magogque, simul gravibus religate catenis
 Expellere miser, debellatasque Draconum
 Tonsæ comas, imò Barathri claudere recessu.
 Tunc hoc, quod sextum sequitur, dextro ordine factò,
 Pacificum pulchrumque, AGNO frangente, sigillum
 Robur habet, fientque optata silentia cælo.
 Tunc implebuntur, quæ sancti ursere Prophetæ;
 Namque lupo dabit agna latus, tunc limite nullo
 Discernetur ager, nec vomere fulcus adunco
 Findetur, subitis messor gaudebit aristas;
 Rorabunt querceta favis, stagnantia passim
 Vina fluent, oleique lacus, nec murice tinctis
 Velleribus quæretur honor, sed sponte rubebunt
 Attonitò Pastore greges, Pontumque per omnem
 Ridebunt virides gemmis nascentibus algæ.
 Verbo: Nil deerit, omnis feret omnia tellus.
 Sabbaticum hoc seclum est, de quo audivere Sibyllæ,
 Spiritus aut tales (quis enim neget?) imbuit æstro.
 Ipseque MESSIAS, super extremos Garamantas
 Æthiopumque Arabumque solum, & deserta Getarum,
Impe-

Imperium ignotas Indorum extendet in oras.
Serviet Huic Uni septem subiecta Trioni
Effera gens Domino, colet Hunc Ægyptus, & ingens
Lydia, quem populi Parthorum, & Medus Hydaspes
Et Numidæ infreni agnoscent, & inhospita Syrtis,
Et conjurato descendet Dacus ab Istro.
Tunc illustratus commixtus Grajus Apellæ
Ambulat, & rigidos respectat Gratia Persas,
Utraque confessum latè canit India CHRISTUM,
Sublatoque canunt Dominum discrimine Gentes,
Unum Numen erit, Nomenque erit Illius Unum.
Hæc credo, mecumque omnes sensere Propheta:
Sicut credidimus, sic cuncta videbimus ipsi,
Erectô CHRITI Regnô, quô pellitur omnis,
Qui præfractô animô negat, atque irridet, Agyrta.



Datum der Entleiung bitte hier einstempeln!


11. Aug. 1998

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0439830

H. Germ. Diogen. 180^{mm}



11

11